

*PEREGRINATIO HISPANICA*

...Deinde montem saxosum ascendentes paulopost invenimus monticulum super quo est ruina cuiusdam turris, et prope domus ante reficiuntur transeuntes si velint, etiam en payant l'eau qu'il prendront autrement n'en arront point. Ibi est exiturus Regni Valentiae et ingressus Regni Castellae.

Tunc in maxima planicie longa et lata constituti processimus via planissima per duas horas magnas, et tandem applicuimus ad burgum vocatum Amansa. Situs est in pendulo montis rotundi et in pede ipsius. Mons iste in media planicie orbem facit quem coronat rupes, et rupem tegit fortissimum castrum. In hoc oppido opus transeuntes manifestare omnes suas pecunias. A lege autem hac liberi recessimus medio abbatis Vallis Dignae qui pro nobis insudaverat. Ibi pransi sumus. Prandio sumpto itum est ad persequendas litteras nostri transitus de regno ad regnum, quas accepimus non gratis, vel si gratis accepimus gratis etiam dedimus. (f<sup>o</sup> 28<sup>v</sup>) Inde vale dicto illi bono patri abbati Valis Dignae sumus egressi et cum ad duos iactus archus essemus venerunt quatuor magni barbati vere seminanti et facie horridi qui iuxta domum unicam mediis in campis primos nostrorum manu frenis equorum stare iusserunt. Et cum accessisset Dominus iterato est de pecuniis inquisitum, sed opposita littera (ut superius dixi) obtenta illis est quos obmutescere faciens ut confusos recedere coegit, nec tamen omnino vacuos illos abire Dominus permisit, sed eis dato vino liberi transivimus. Notandum est quod ex hoc oppido in planiciem intravimus lattissimam undecumque prospiciatur. Duas magnas leucas per haec inaquosa plana progressi offendimus domum unam campestram in qua aquam argento permutatam et vino unius lagenarum nostrarum permixtam bibimus omnes. Denuo itaque via plana et patente nullis arboribus aut fructibus propinqua, duas maximas leucas peregrimus, et sic appulimus ad burgulum nuncupatum Bonney. Hic burgus in planicie situs est, quinque constat domibus cum capella honesta ubi pro sola lecti locatione oportuit dare duos regales, id est octo solidos turones et male fuimus locati, et equi nostri peius.